



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

XVI. Christus Triumphator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

dilectos intelligunt. Cui autem minus datum est, minus diligit. Iudæus sanè, vel Paganus, vel Schismaticus, nequaquam talibus aculeis incitatur amoris, quales Ecclesia experitur, quæ ait; *Unluerata charitate ego sum, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cernit quippe vnicum Patris, crucem baiulantem; cernit conspuratum, Dominum maiestatis; confixum clauis, saturatum opprobriis, tandem dilectam animam dare pro amicis, & sic eis requiem æternam mercari effusione sanguinis.]

V.

Ne redemptio cassa abeat, providendum.

1190 Hoc vrgebat S. Ambrosius, *sub finem* libri tercij de Virg. vt homo dignum se tali redemptione præstet. [Non aurum & argentum vos liberauit, sed probatio fidei, multo pretiosior auro quod perit. Bonus seruus pretium studet reparare Domino, quod pro se solum est. Noli aurum parare filiæ, noli argentum. Non diuitiis istis te Christus redemit. Paratum habet pretium. Non semper exigeris, sed semper debes. Sanguinem soluit, sanguinem debes. Ille pro te soluit, tu pro te redde. Eramus oppignerati malo creditori peccatis; contraximus chirographum culpæ, poenam sanguinis debebamus. Venit Dominus Iesus, suum pro nobis sanguinem obtulit. Sed non potes sanguinem reddere. Bonus quidem seruus debet pretium reparare Domino suo. Sed si non potest pretium suum reddere, vel hoc faciat, ne pretio videatur indignus. Ergo & tu dignam te gere tali pretio, ne veniat Christus qui te mundauit, qui te redemit: & si te in peccato inuenerit, dicat tibi; *Quæ utilitas in sanguine meo? Quid profeci tibi, dum descendo in corruptionem?*]



CAPVT XVI.

Christus Triumphator.

GLORIOSISSIMO hoc titulo, ferriem Christi titulum obgnabimus. Nam & postremus omnium adueniet, si de publico omnium hostium nostrorum triumpho sit sermo, vt mox exponam.

Christo igitur bellatori fortissimo, & geminæ substantiæ Giganti, ad præliandum prælia Domini & nostra hac demisso, post confectum generosè prælium, hostesque deuictos, & liberationem nostram ritè consummatam, ex usu apud omnes nationes recepto, & iuri naturæ admodum consentaneo, debetur triumphus. Sunt autem hostes illi, vt sæpè iam retulimus, tres præcipui. Primus incentor cæterorum, & nequitie artifex Satanæ. Secundus peccatum, quod per fictionem iuris in Scripturis, vt persona quædam aduersus hominem dimicans proponitur. Tertius, mors quæ machinatione Satanæ, in lucto peccato, producta in aciem, stragem edidit infinitam. De his omnibus hostibus nostris triumphauit Christus Dominus;

Primò, clari & inuisibiliter; deinde partim occultè, partim apertè. Tandem verò prorsus apertè, ac manifestè, de omnibus est triumphaturus.

Primus Christi triumphus, planè occultus, de Satana, in cruce, ex Coloss. 2.

1191 Clam Triumphantem de Satana Christum, exhibet Apostolus Coloss. 2. verbis illis; *dolens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipsamultis de medio, affgens illud cruci, & expoliatis principibus, & potestatibus, iraduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Iudicio S. Chrysostomi, ibi homilia 6. Apostolus nunquam ita magnificè locutus est. Hunc enim assignat sensum, extremorum illorum verborum. Expoliatis principibus & potestatibus, ostendit palam, triumphans de illis per seipsum. Nec minus magnificam verborum illorum notionem, agnoscit S. Hilarius sub finem 10. de Trinit. [Apostolus (inquit,) loquente in se Christo loquutus, & salutis nostræ pro Domino opus memorans, mortem Christi ita significat, vt carne se spoliaret & potestates cum fiducia dehonestet, & de his in semetipso triumphet. Si in passione sua necessitas est, & non salutis lux donum est: si in cruce dolor compungendi est, & non decreti; quod in te mors est scripta confixio: si in morte vis mortis est, & non per potestatem Dei carnis exuuiæ sunt: si denique mors ipsa aliud est, quàm potentum dehonestatio, quàm fiducia, quàm triumphus, adscribere infirmitatem. Si ibi necessitas est, & natura: si ibi vis est, & diffidentia, & dedecus. Sin autem hæc è contrario in Sacramento passionis prædicantur, quis rogo furor est, repudiata doctrinæ Apostolicæ fide, mutare sensum religionis & totum hoc ad imbecillitatem & contumeliam rapere naturæ, quod & voluntas est, & fiducia, & triumphus? Triumphus planè est quæri ad crucem, sed offerentem se non sustineri: stare ad sententiam mortis, sed inde confessorum à dextris virtutis: configi clauis, sed pro persecutoribus orare: acetum potare, sed Sacramentum consummare: deputari inter iniquos, sed paradysum donare: eleuari in lignum, sed terram tremere; pendere in cruce, sed Solem ac diem fugere: exire è corpore, sed renovare animas in corpora: sepeliri mortuum, sed resurgere: demum, secundum hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundum Deum in his omnibus triumphare.] Ita vniverse, de eo Apostoli loco, hi Patres. Sed regustemus sigillatim eundem locum Apostoli. Singuli in his verbis apices, magnificentiam Christi in cruce triumphantis produunt.

Spoliatio Satanæ confgend.

1192 Quod dixit Apostolus, spoliatis principibus, id est Diabolicas virtutes, iuxta Chrysost. & Theodoretum, alij aliter legunt. Nam Occumenius legit *exuuiis iniis*, & exponit de principibus exitij nostri in prauatatione Adæ: quæ initia, quomodo exui dicantur, non est adeò perspicuum. S. Ambrosius 3. de fide cap. 2. & S. Augu

S. Augustinus lib. de agone Christiano cap. 2. legunt, *exuens se carnem*: quod perbellè cadit in Christi confixionem in cruce, qua vitam abiecit. Propono eandem sententiam perelegantibus Nouatianis lib. de Trinit. cap. 16. cum probat, Christum & deitatem & humanitatem habuisse. [Vtrumque ergo (inquit,) in Christo confederatum est, & vtrumque coniunctum est, & vtrumque connexum est. Et merito, dum est in illo aliquid quod superat creaturam, pignerata in illo diuinitatis & humanitatis videtur esse concordia. Propter quam causam, qui mediator Dei & hominum effectus exprimitur, in se Deum & hominem sociasse reperitur.]

Propositam Apostoli sententiam de Christo exuto, & sic triumphante de potestatibus, Ad nudationem Christi in cruce, referte videtur Cyrillus Hierosol. catech. 2. mystag. alloquens sic Neophytos. [Statim vt ingressi estis, vestem induistis: quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus suis, imago fuit. Atque ita exuti, eratis nudi: imitantes & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, Christum: qua ille nuditate principatus, & potestates huius seculi spoliavit, & magna confidentia in ligno de illis triumphauit.]

Iam suffixionem Chyroglyphi in cruce, Hieronymus Diaconus refert ad peccatum, quod ait fuisse cruce confixum, & occisum. Peccatum autem metonymice dici ait, Satanam peccati autorem & incentorem. Eius verba sunt. [Quia ex peccato mors, sublatum peccato fit resurrectio mortuorum. Quod quidem fieri minime potuisset, nisi peccatum affixisset cruce. Dum enim non peccando Saluator vincit peccatum quod hominem tenebat obnoxium: insuper & occiditur ab eo innocens: sic crucifigitur peccatum. Deuictum enim peccatum, mortificatum dicitur. Crux enim non Saluatoris mors est, sed peccati. Innocens enim sic qui occiditur, reos illos facit à quibus occiditur. Peccatum autem principes & potestates intelligamus, quorum studio peccauit primus Adam. Ad autores enim referendum est nomen hoc, quorum mortem in expoliatione significauit. Mors enim ipsorum hæc est, quia victi à Salvatore dum expoliantur animabus quas tenebant in captiuitate, mortificantur. Rei enim facti sunt: quia cum hac auctoritate animas tenerent, quia peccauerant, ipsi inuenti sunt amplius peccatores, dum illum qui illos non peccando vicerat, occiderunt. Et sic in se expoliati sunt.] Expoliationem Satanæ interpretatur detractionem animarum quibus vt vestimento induebatur.

Diabolus in ipsa cruce, confixus Christo.

1193 Quod autem sic vestimento illo suo exutum, confixum cum Christo in cruce Satanam, ait, sumpsit ex Origene hom. 8. in Iosue, vbi exponit crucifixionem Regis Hay. Post omnia autem (inquit, Jeriam Rex Hay, in ligno gemino dicitur esse suspensus. Hoc in loco mysterium tegit quamplurimos latens: sed orantibus vobis tentabimus hæc, non nostris opinionibus sed diuinæ scripturæ testimonio aperire. In superioribus diximus, Regem Hay Dia-

bolo posse confecti. Huc quomodo in ligno gemino crucifixus sit, operæ pretium est noscere. Crux Domini Iesu Christi, gemina fuit. Mirus tibi sermo fortasse & nouus videtur, quod dico crux gemina fuit: hoc est, gemina ratione constat & duplici. Quod visibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus est: inuisibiliter autem in ea cruce Diabolus, cum principatibus suis & potestatibus affixus est cruce. Non tibi hoc videbitur verum, si tibi horum testem produxero Apostolum Paulum: Audi ergo de iis quid ipse pronuntiat: *Quod erat*, (inquit,) *contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens cruci suæ, exuens principatus & potestates, traxit, liberè triumphans eas in ligno crucis*: licet in aliis exemplaribus habeatur *triumphans in semetipso*, sed apud Græcos habetur *in ligno*. Ergo duplex ratio Dominicæ crucis. Vna illa qua dixit Apostolus Petrus quod Christus crucifixus, nobis relinquit exemplum: & hæc secunda, qua crux illa trophæum Diaboli fuit, in quo & crucifixus est & triumphatus. Ideo denique & Apostolus Paulus docebat, *Mibi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Vides quia & hic Paulus duplicem crucis prodidit rationem. Duo enim sibi contraria dicit esse crucifixam, se sanctum & peccatorem mundum, ad illam formam sine dubio quam superius diximus Christi & Diaboli.]

Equè, Diabolum de ea ipsa Cruce quam Christo fixit, pependisse, affirmat S. Basilii his verbis homil. de humilit. [Astutia Diaboli qua aduersus hominem vltus est, irrita facta est: & quod ille insidiosè contra hominem machinatus est, non animaduertit sibi ipsi fore aduersum: non tantum illum lædens, quem à Deo & vita æterna abalienaturum se sperauerat, quantum seipsum prodens apostata à Deo factus est, & morte sempiterna condemnatus. Et laqueo quem Domino struxit ipse captus, in quo eo crucifixus est, quem se crucifixurum, & mortuum in eo quem morte se extincturum sperauerat.]

Idem postea ratum habuit Petrus Damiani serm. 1. de Exalt. S. Crucis *initio*. Tractans enim duas virgas quarum meminit Zach. cap. 11. & *virgam decoris*, præfatus esse vterum Virginis, subdit de alia virga. [Altera funiculi, lignum patibuli, determinans vtraque Regnum Dei, & Diaboli, imponens frænum malitiæ eius, latamque eius pernegationem, validissima potestate coartans. In hac confossus est latus innoxium, & ad horam crucifixus est innocens manibus & mundo corde. Terribilis ille latro, cuius manus plenæ sunt sanguine, in hac item confossus est, & confectus. Sed Christus aliter, aliter ipse: Christus ad monumentum, ille in æternum. Debellauit æthereas potestates (ait Apostolus,) & affixit eas Cruci suæ. Ex altera parte crucifixus est Redemptor noster, ex alia summus ille præuicator. Rex Hay, vt narrat Historia, suspensus est in gemino patibulo, ita Rex mortis in duplici patibulo suspenditur, quia dum Christum interfecit, in ipsa cruce crucifixus est.]

Hanc Satanæ crucifixionem, præmissa de more patibulariorum spoliatione, per animatum quibus tanquam vestimentis amiciebatur, abductionem

abductionem; non repudio. Sed ad mentem Apostoli congruentiorem puto spoliationem Satanae, (vt in hostili incurfu fieri solet,) bonis omnibus exuti: diuitiis inquam quas congregauerat, non in iudicio. Illa enim praeda direpta, in triumpho per Christum celebrato, delata est.

Satanas traductus ad crucem Christi, confidenter, siue palam triumphatus.

1194 Sic spoliatus opibus male partis principatus tartareos, Christus ad crucem traduxit confidenter. S. Epiphanius in Anchorato & haer. 73. Pneumatomachorum, initio, idē sonare, haec putat, ac *vinperauit*. Graecum verbum est *ἐδωμάτης* cuius verbi hanc Glossam suppeditat Chrysostomus homil. illa 6. [Benē dixit *ostendit*. Nunquam tam turpiter & indecorē se gessit Diabolus. Nam quum eum se habere expectaret, etiam quotquot habuit, perdidit.] Et mox. [Declarat, quod liberē, securē, & confidenter mori, est probum & dedecus Diaboli. Ille enim omnia fecisset, si potuisset, vt persuaderet hominibus eum non esse mortuum. Non quoniam totum quod postea futurum erat tempus, erat, signum & indicium resurrectionis; mortis autem si non illud fuisset, non futurum erat vllum tempus; propterea mortuus quidem est publicē omnibus videntibus. Non resurrexit autem publicē, vt qui sciret tempus quod postea erat futurum, veritatis latrum testimonium. Nam quod mundo vidente supra in ligno occisus sit serpens, hoc est admirabile. Quid enim non fecit Diabolus vt clam moreretur? Audi Pilatum dicentem; *Tollite ipsum vos, & crucifigite; ego enim nullam inuenio in eo causam.* Et rursus ipsi dicebant Iudaei; *si filius Dei es, descende de cruce.*] Omnibus ergo modis, (Quod mox plenius prosequitur Chrysostomus,) voluit Christus suam in cruce mortem patere omnibus, & peragi in publico, conscius horrendae confusionis qua inde Satanas complebatur.

Idipsum fuit palam triumphari potestates in semetipso, quod postremō addebat Apostolus. Non me latet S. Augustinum Epistola 59. ad quaest. 3. omittere eam particulam *palam*. [Malos (inquit) principatus, & malas potestates, Diabolicas scilicet, & Daemoniacas, *exemplauit*, id est, exemplum de illis dedit, vt quemadmodum ipse se exiit carne, sic suos ostenderet exuendos carnalibus vitiis, per quae illi eis dominabantur.] En non comparat apud eum, illud *palam*. Non est tamen ea particula negligenda. Illud ergo *palam* Hilarius Diaconus ad hunc locum exponit [*Publicē*; id est in cruce, quod est palam detriumphari a Deo in Christo. Ille enim detriumphatur, qui palam vincitur, & spolia eius publicantur. Ostenditur omnibus prostratus, qui ceteris insultabat.] Non quod euidentibus esset hanc Christi esse victoriam, & de Satana triumphum; sed quod externa illa perpassio & passio, quae iuxta S. Chrysostomum, homil. 2. in Acta, & Damascenum 3. fidei cap. 15. actio potius est dicenda, aperta omnibus esset, quoad Christi infamiam solam, non quoad effectum. Nemo

quippe Iudaeorum qui infiniti aderant, & Christo insultabant, videbat exemplatum Satanam. Ipsa autem Christi exinanitio, peragebatur in omnium oculis, in vrbe totius propē orbis metropoli, cum conuenissent in eam, ex omni natione quae sub cōlo est, innumerabiles populi. Itaque securē S. Chrysostomus homil. illa 6. ait, orbem ipsum hanc detriumphationem & ostentationem principatum, per Christum in cruce factam. [Et quod praecelsum est, (inquit,) non commisit hoc alteri,] sed per ipsum, & in seipso tanta praestitit, tantaeque confusione obruit Satanam, quem sic per seipsum circumduxit & ostentui habuit.

Alia de Satana ad Christi crucem triumphatio; simulque de parato, & apompae.

1195 Nisi cui plus ardeat quod Theodoretus ferm. 10. de Proud, hunc Apostoli locum expendens, idem putat esse Christum triumphasse potestates in semetipso, ac exhibuisse illis spectandum suum corpus & animam; quarum partium vtrique fuit innocentissima, & remotissima ab omni labe: inuictamque procurante Satana sententiam contra se latam, arguisse, & conuicisse sceleris. Adorationem Patrum in Limbo antea detentorum, & hymnos triumphales hac ex causa Christo ab eis decantatos, pete ex Laurentio Iustiniano, l. de Triumph. Christi agone cap. 22. Nec displicet quod Isidor. Pelus. lib. 4. Epist. 108. significat illud in *semetipso* insinuare potentiam Christi, qui clauis confixus cruci, (quod proximē memorauerat Agostolus, agens de chirographo,) de tantis hostibus triumphum egerit. Audi Pelusiotam. [Quoniam hac res, athletam robustiorem & artificiosorem declarat, quando aduersariorum licet contritus apprehensionibus, tamen eos spoliatos ad ipsum fossatum superauit: Idcirco etiam Christus, pugnam aduersus Dāmones per crucem suscepit, vt videlicet tantō illustrioribus trophaeis de ipsis erectis triumpharet. Atque hoc ipsum est, quod discere cupiebas: *Expolians principatus & potestates, ostendit palam, triumphans de illis in semetipso.* Re enim vera triumphati sunt Dāmones; ab athleta, manus pedisque clauis transfixo, superati. Reuerā traductus est Diabolus, carne vna in cruce pendente superatus, eique manus dans & concedens palmam.]

Non omitto quod in hac Christi triumphatione Origen. homil. 9. in Iosue, obseruat impletum esse, quod de parato ablegante apompaeum in desertum, habetur c. 16. Leuit. Verba Orig. sunt. [Potest fortassis & alio modo, paratus & immundus, qui abducit eum cuius fors eremit in eremū, & eo ipso quo educit eū, quasi per immundum contigerit, dicitur lauare vestimenta sua ad vesperam, & esse mundus etiam ipse Dominus & Saluator noster intelligi ex ea parte, qua naturae nostrae, id est, carnis & sanguinis vestimenta suscipit quae in vespere lauari: Propter quod & dudum Propheta de eo dixerat; *Et vidi Iesum Sacerdotem magnum, indutum vestimenta sordida, & Diabolum stantem a dextera*

dextra eius, ut contradiceret ei. Laui ergo in vino, id est in sanguine suo, stolam suam in vespera, & factus est mundus. Et inde fortassis quod post resurrectionem, Mariæ volenti pedes eius tenero, dicebat, *Noli me tangere.* Vis autem adhuc videre, & aliam duorum sortium formam? Considera duos illos, qui tempore crucis eius, vnus à dextris, & vnus à sinistra eius pependerunt latrones, & vide illum qui confitebatur Dominum, sortem factum esse Domini, & abductum esse sine mora ad paradysum; illum verò alium blasphemantem, sortem factum esse Apompæi, qui in eremum abducebatur inferni. Sed & in eo quod dicitur, *quia affixit cruci sue principatus & potestates contrarias, & triumphauit eas,* sortem in eis Apompæi contempsit, & tanquam homo paratus, abduxit eas in eremum. Denique & in Evangelio Dominus dicit, *Quia cum exierit de homine immundus spiritus, vadit per loca deserti, querens requiem & non inuenit.* Sic ergo potest & Saluator noster, homo paratus intelligi, qui sortem quidem Domini, Ecclesiam suam fecerit, eamque diuino consecravit altari; sortem verò Apompæi, contrarias fecerit potestates, spiritus nequitie, & mundi huius rectoris tenebrarum harum, quos (sicut dicit Apollolus,) cum potestate iraduxit, triumphans eos in semetipso. *Traduxit.* Quod traduxit, nisi ad eremum ad loca deserta? Sicut enim illi qui confessus est, aperuit paradisi ianuam, dicendo; *Hodie mecum eris in paradiso.* & per hoc omnibus credentibus, & confitentibus, ingrediendi aditum dedit, quem prius Adam peccante concluserat. (Quis enim alius, triumphatam flammeam & versatilem, quæ appositæ est cultodire lignum vitæ, & fores paradisi poterat dimouere? Quis alius Cherubim peruiigli excubans custodia valebat inflectere, nisi ipse solus, cui data est omnis potestas in celo & in terra?) Vt, inquam, præter ipsum nemo alius hæc facere potuit, ita principatus, & potestates, & rectores mundi, quos enumerat Apostolus; nemo alius poterat triumphare, & abducere in eremum inferni, nisi ipse solus qui dixit; *Confidite, ego vici mundum.* Idcirco ergo necessarium fuit, Dominum & Saluatorem meum, non solum inter homines hominem nasci, sed etiam ad inferna descendere, vt sortem Apompæi, tanquam homo paratus in eremum inferni deduceret; atque inde regressus, opere consummato ascenderet ad Patrem, ibique plenius apud altare illud cæleste purificaretur, vt carnis nostræ pignus, quod secum euexerat, perpetua puritate donaret. Idem homil. 7. in Iosue, ex allegatis Apostoli verbis, plausum & clangorem Angelorum, vincente & triumphante Christo, scire colligit.

Triumphus de peccato, & morte, ad Christi crucem.

1196 Eadem opera, triumphasse Christum de peccato & morte in cruce, agnoscunt Patres. Isidorus Pelusiota l. 2. Epist. 192. ait, Christum cruci suffixum, suffixisse secum peccatum & mortem. Itaque sicut Satana cum Christo confixio, (quod ex Origene & Petro Damiani audiuius,) fuit Christi de Satana triumphus: ita confixio peccati ac mortis in cruce, triumphus.

Theoph. Raynandi de Attrib. Christi.

phus est de iisdem reportatus. Additque idem Isidorus l. 4. Epist. 180. idcirco Christum respuisse lachrymas filiarum Ierusalem, quo tempore ad crucem properabat, quia lachrymis profectendus non erat, qui ad crucem, victoris & triumphatoris instar proficiscebatur, & de peccato trophæum statuebat, ac ad mortem morte multandam festinabat. Præuierat Chrysostomus hom. 6. in ad Coloss. qui de Christo cruci suffixo agens ait, illi hic plagam accepit mors, à mortuo corpore; lethali vulnere cæsa: & quemadmodum si athleta cum aduersarium suum, se iam prostrauisse putat, lethalem plagam acciperet; ita & morti factum est. [Et mox Factum est hic, perinde atque in singulari certamine solet. Mortem percussit Christus; Verum Christus primum percussus, postremò mortem interemit. A mortuo destructa & enecata est corpore, quæ videbatur immortalis.] Non dissimiliter S. Augustinus homil. 35. ex 50. [Quæ fortitudo draconis contra mortem Domini, qui serpentem suspendit in ligno? Triumphauit enim de morte, quam Diabolus propinauerat per alicuius suas homini. Et cum exaltaret Moyses serpentem in eremo in ligno, populus qui mordebatur à serpente, attendebat serpentem, & sanabatur, sic & modo quemcumque momorderit astutia Satana, intueatur Christum in ligno pendentem. Ibi enim mors occisa est, Dominus semper viuuit. Sed vt occideret mortem, vestitus est morte. Non potuit mors mori, nisi in vita. Non moritur amaritudo nisi in dulcedine; non moritur frigus, nisi in calore; non est mortua mors, nisi in vita. Quid est vita? Christus noster. Sed vita induta erat mortem. Crucifixus est, occisus est, mortuus est, & resurrexit tota vita. Interfecta morte, & deglutita morte, iam vita surrexit.] Profecit ex his S. Bernardus serm. i. de S. Malachia. Recolenda quæ diximus, de Christo pacis principe, ex peccato & morte prostratis. Omnis enim illa victoria, eamque illico consecutus triumphus, ad crucis tempus pertinet, per quod inuisibilis iste Christi triumphus peractus est, & in inferno, ac Christi resurrectione consummatus.

Appendix triumphi Christi in cruce, per triduum consequens, ex Abacuc.

1197 Nectro triumphum à Christo in cruce celebratum, cum triumpho mortem proximè consecuto; quia hic fuit illius, quasi appendix, vel clausula. Propterea quæ S. Chrysostomus ser. 3. de Asce. (aliàs 4.) post desertum motum qui Christo suffixo contigit, annexens hanc quoque appendixem, addit. [Tunc infernus euersus est, & porta eius contrita sunt, & vestes ipsius contriti. De quibus Dauid vaticinans dicebat; *Quia contriuit portas areas, & velles ferreos confregit.* Tunc mors dominans, subiecta est sub pedibus Christi, & in triumpho ducta captiua. Nam incorrupto resurgens & glorioso corpore; hostis vires fregit, & eius machinis contritis, telis dissipatis, vinculis disruptis, dolorum ac perturbationum iugo proiecto, ad inferni Regiam descendit, eius thronum diuulsit, diadema distraxit, sceptra perdidit, eum qui tenebatur, exsoluit, M M M m tyran

tyrannum pessumdedit, vocem emisit dicen; *Venite omnes patria gentium, ad Deum Patrem venite, & pro servitute libertatem reportate, vos de servitute in libertatem adduco, ex tenebris ad lucem, de morte ad vitam, ex tyrannide ad Regiam.* Vix enim vobis latuam nuncium fero. Ego sum Christus. Itaque ne amplius timueritis tyrannum, sed metum ac mortem, famem atque pressuram vinculorum, gladij & angustia, despici- te. Hæc enim is qui tyrannide premitur, per- timescit. Tyranni exercitus profligatus est. Solus autem omnium ego Rex sum victor, qui & in carne pro vobis passus sum. Hic ergo verè fortis & potens est Dominus, qui potens est in prælio. Hic est Rex gloria, qui compedibus victos educit in fortitudine, habitantes in sepulchris.]

Agnosce hinc licet quid sibi Habacuc in suo Canticò voluerit, cum de Christo dixit, *cornua in manibus eius, ibi absconditæ est fortitudo eius; ante faciem eius ibi mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius; stetit & mensus est terram, aspexit & dissoluit gentes, & contriti sunt montes seculi: Incuruunt colles mundi, ab intricibus æternitatis eius. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ. Ma- dian.* Hæc non aliud spectare, quàm ad Christi in cruce triumphum, de satana peccato, & mor- te, varij Patres tradunt: nominatim Autor libri de operibus Christi Cardin. ferm. de Pass. Euse- bius lib. 6. de demonstr. c. 15. Aug. 18. Ciuit. c. 32. Rupertus, & Recentiorum plerique ad eum lo- cum Habacuc. Ipsa enim est mors, seu pestis, quam 70. *verbum* vertunt siue sermonem: intel- ligentes de verbo aspero de quo psal. 90. Ita Aug. in psal. 48. ad illud *mors depascet eos* Item Origenes l. 7. in Epist. ad Rom. in c. 8. ad verba illa *carnis sum quia neque mors*, sic scribit. [Mors quam hic dicit, ille accipiendus est, quem supra exposuimus, inimicum Christi destruendum no- vissimum dici, qui vtiq; propterea mors dicitur quia sicut hæc communis mors, animam separ- rat à corpore ita à charitate Dei animam separ- rare & ille contendit, & hæc vtiq; est animæ mor.] Est igitur Satan, mors, quæ ante faciem Christi ibi. Ipse item est Diabolus, & mors pes- tifer, mors seculi. Eius verò assecra, colles mundi. Peccata autem, tentoria Æthiopiæ, ac pelles terræ Madian; quæ omnia traducta con- fidenter, & ante pedes producta; dissoluta, tur- bata, diffecta; & in triumpho proposita sunt, pendente Christo; habentēque in manibus cru- cis cornua. Neque enim tam crux Christum ha- buit, quàm Christus crucem, in qua volens pe- pendit, & fortitudinem suam habuit abscondi- tam. Inde porro *cornuum* nomen, cruci aptatum à Propheta videtur, iuxta illud Tertulliani lib. contra Iudæos c. 10. [Benedicetur in hæc verba Ioseph; *Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius, in eis nationes ventilabit pariter, ad summum usque terræ.* Non vtiq; Rhinoceros destinaba- tur vnicornis, vel minotaurus bicornis, sed Chri- stus in illo significabatur; Taurus ob utramque dispositionem; aliis ferus vt iudex, aliis mansue- tus vt Saluator, cuius cornua vocantur. Vnicor- nis autem media stipitis palus. Hæc crucis pars est, hoc extremitates huius cornua vocantur, vnicornis autem media stipitis palus. Hæc deni- que virtute crucis, & hoc more cornutus, vni- versas gentes & nunc ventilat per fidem, aufe- tens à terra in cælum, & tunc ventilabit per iu-

dicium, deiiciens de cælo in terram.]

1198. Quæ de cornuum, etiam in coronis, vario usu, ad denotandam fortitudinem adducit Paschalius l. 10. de Coronis c. 4. & 5. mitto te- ferre. Cum igitur in his cornibus, vinciens ac triumphans de tot teterrimis hostibus nostris Christus Dominus, in tam vili licet specie, & abscondita fortitudine deprehendatur; mirum non est, sanctos viros vtiq; adeo non refugisse tantum Christi vt videbatur opprobrium, vt potius illud ubiq; prætulit: præsertim Apo- stolus, qui profusus est Corinthiis, non iudica- se se quod aliquid inter ipsos legeret, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Agnoscebat enim summum Christi honorem, verique de truci- lentissimis hostibus triumphum, in oblatione illa, corporis oculis obuerfante. Ita observavit Isidorus Pelus. l. 4. Epist. 150. Germana hæc cau- sa fuit, cur Abraham, & cum eo antiqui Patres omnes, de præcognita Christi morte exultant, præscij eam non tam mortem fore, quam trium- phum. Diem sanè illum Christi, quo viso exul- tavit Abraham, ille mortem, sic probat S. Chry- sost. hom. de dicto Pauli, tunc & ipse filius sub- iicietur ei. Quia de Abraham item Saluator di- cit; *Abraham pater vester exultavit, vt videret diem meum, vidit & gavisus est.* Quem diem? Mortis Agnus enim ab arbore traditus Abrahæ imaginem gessit Agni Dei, qui tollit peccatum mundi. Et quod dicit, *Vidit diem:* Non aliud facit, quàm quod vidit mortem. Vnde hoc & visitato morte dicunt homines, *prævenit cum dies* pro eo quod est, *mori.* Vt cum consuetudinis lex, non est satis idonea ad alstruenda ea quæ dicuntur: Itaque ad Scripturam veniamus. Dicit alibi Beatus David; *Observabit peccator infum, & stridebit super illum denibus suis, Dominus autem iridebit illum, quoniam prauit quod venit dies eius.* Impletas item in cruce fuisse, illas Emma- nuelis victorias, & triumphos de Satana, de quibus Iſaias c. 7. latè prosequitur Rich. Victor. l. 1. de Eman. c. 17.

Ego concludo consideratione trophæi in cruce à Christo constituti, quod peto ex Chry- sostomo, hom. de Nom. Cæmeterij, & cruce in fine. [Tantum (inquit,) ipse reputa, quis tandem ille sit sanguis effusus. Ille nimirum qui tuorum peccatorum chirographum deleuit; sanguis ille, qui purgavit animum, qui maculas abluuit, qui virtutes ac potestates palam triumphavit; *expe- lians*, (inquit,) *principatus, & potestates* traduxit, *confidenter triumphans illos in cruce.* Multa, in- quit, illud trophæum habet victoriæ insignia; multa ibi spolia in cruce de sublimi pendunt. Vt enim strenuus Imperator, bello grauissimo perfecto, thoracem, ac scutum, & arma Tyranni, superatorumque militum, in sublimi trophæo ponit; ad eundem modum etiam Christus de- bellato Diabolo, arma omnia illius, mortem, maledictionem, peccatum, de sublimi cruce, tan- quam de quodam trophæo suspendit; vt om- nes trophæum aspiciant, illa supremæ virtutes, illæ cælestes, homines quoque in terris degen- tes, ipsi quoque vici, improbi Dæmones.]

Secundus Christi triumphus, partim publicus, partim occultus, in Ascensu ad caelos.

1199 Alter Christi triumphus, ex parte publicus, & manifestus, quippe Angelis conspicuus, ex parte verò occultus, quippe homines latens, is est, quem Christus ascendens in caelum celebravit, in clausula felici totius itinerarij filij Dei, vt loquitur S. Bernardus serm. 2. de Ascensu. Exprimebant eum olim Christiani (verba sunt Iuonis Carnot. serm. de Purificat. Deip.) [tempore Ascensionis, vexilla triumphum Christi signantia, in eminentiori loco Ecclesiae, tanquam in arcu triumphali sublimantes.] Fuisseque eum triumphum magnificentissimum, liquet ex Psalmo 67. vbi, *ascendens in altum*; non in crucem, vt perperam (etiam si sub disunctione,) habet ibi Euthymius, sed in caelum, iuxta Apostolum Ephes. 4. dicitur *cæpisse captiuitatem*; & effudisse in homines dona, simulque confregisse capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis. Quibus verbis, triumphum Christi de spiritalibus & inuisibilibus hostibus celebrari, S. Hilarius latè ibidem prosequitur.

Suspexisse verò SS. Angelos, ac beatos spiritus, triumphantis Christi ingressum, illa Psalms ad Christum allocutio monstrat, *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto.* Quæ verba sic glossat S. Hilarius accommodatissimè ad præsens institutum. [Dei quidem itinera sunt visa, cum coactis in glaciem aquis, præeunte in columna ignis & nubis, iter populo siccaturum est; cum in medio tympanistrarum iuvenes psallentes, gloriosi glorificatum Dominum cantauerunt. Sed non minùs itinera & alia Regis, in Sancto, cum virtutibus animique Sanctorum iter eius præeuntibus, in eo qui primæ sabbati psalmus est, cantatur; *Tollite portas principes vestri, & eleuamini porta aternales, & introibit Rex gloria. Quis est iste Rex gloria? Dominus virtutum, ipse est Rex gloria.* Et hæc itaque Dei nostri & Regis, in sancto, itinera sunt visa, cum ingressum eius, tanta celestium cætuum gaudia præeunt.]

1200 Non suspicientes modò & admirabundi, sed obsequiosi quoque, Christo affuere in hoc triumpho cælestes spiritus. Quod pulchrè expressit apud Cyprianum Autor sermonis de Ascensione, verbis illis, quibus vniuersum hunc triumphum concinnè exhibet. [Non manufacto vehiculo, nec auxiliariis carpentis euectus est Christus: sed naturæ diuinæ propria vsus virtute, carnem cælo intulit, & corpus glorificatum, Patris conspectibus præsentauit. Non indicit vëtoribus Angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus; sed præcedentes & subsequentes applaudebant victori, & continentes in iubilatione modulabantur canticum nouum, & implebat caelos consonantiæ illius harmonia: Thronis & Dominationibus parantibus Filio iuxta Patrem confessum: Cherubin & Seraphin pedes pacificos ambientibus: radiantibus vndique diuinis claritatibus: & splendoribus supercelestibus: quos nec ardor persuectans consumit, nec turbinis alicuius afflatus extinguit, nec interpolatio caliginis vilius abscondit.]

Theoph. Raynandi de Attrib. Christi.

Celebrat tanti triumphi magnificentiam, lætæbundus cælestis exercitus: & qui descendenti coram Pastoribus Bethleemitis decantauerunt in sublimi præconia: modò expressioribus conatibus, & intensioribus iubilis, reuertenti ad Patrem solemniora obsequia impendebant, & festiuis affectibus venerabantur hominem supra se sublimatum, quem gloria & honore coronauerat Pater ad dexteram suam collocatum: hoc dato ei priuilegio singulari, vt in nomine eius genuflectatur, & super omne nomen, eius nomen excellentius coleretur.

Sed circa tactam beatorum spirituum effusionem, in Christi ascendenti triumpho, suauissima est, & B. Bernardo dignissima consideratio, quam Galfridus ex eo retulit in Allegorijs Tilmanni ad cap. 38. Esaia. (nam apud ipsum quidem S. Bernardus, in eam non incidi. Sic ergo habet Galfridus. [Loquebatur aliquando B. Bernardus, iucunda quadam deuotione, super his decem diebus, quibus post Ascensionem Domini, promissum Paracletum orantes discipuli præstolabantur: dicebatque, videri posse velut detentum ab ordinibus singulis Angelorum, per dies singulos Saluatorem, ad Patrem die decimo peruenisse: & humano quodam more, inducebat singulos ordines, solemnibus eum processionibus, & triumphalibus canticis occupantes. Et cum vellet transire eas, causantes quod apud homines tantam fecerit moram, non modò passurus, sed etiam suscitatus; ad eos autem nec declinare vellet. Quinetiam iuxta illud de Euangelio, cogentes illum, & dicentes, *mane nobiscum Domine quoniam aduersperascit & inclinata est iam dies.* Itaque diebus nouem detentus, decimo tandem super omnes choros Angelorum collocatus, sine vlla deinceps mora, promissum Spiritum sanctum in filios adoptionis effudit. Ipse S. Bernard. serm. 2. de Pentecost. initio, circa illud Esaia 4. *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria*, præfatus Christum esse illud germen Domini, ob mundissimam suam conceptionem, subdit. [Illud ergo germen quod de virga Iesse, vitore virginis pullulauit, in magnificentia fuit, cum resurrexisset à mortuis; quia tunc Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induens, amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem ascendenti gloria, cum medius, Angelorum & animarum sanctorum, ad Patrem deduceris, & triumphatrice palma cælis inuectus, susceptum hominem in ipsa diuinitatis claudis identitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quàm sit fructus terræ sublimis, in consessu ad dexteram Patris, quod vtique cælestium oculos reuerberat naturatum, quod Angelicus intuitus non attingit. De hac magnificentia & sublimitate consessus in cælis, magnificentissimè S. Chrysostomus serm. 9. de Ascensu.]

Dona à Christo sic triumphante, accepta in hominibus.

1201 Munera per triumphantem distribui solita, huic triumpho non defuerunt: Et quidem insignia, quæ Antonomastice dona dici meruerint à Psalle. *Dedit* (inquit,) *dona hominibus.* Hoc video de Spiritus sancti effusione Ascensionem proximè consecuta, passim ac-

M M M m 2 cipi,

epi, cum Rufino ad 6. Symboli articulum; Nec male. Estque verè donum illud, exquisitissimum, & Christo dignissimum. Quidni tamen alia quoque agnoscamus Christi triumphantis dona, collata hominibus? Gloriam videlicet in Christi ascensu, sanctis eum reducem comitatis, distributam à Christo tanquam mercedem fructus ventris. Obseruat egregiè Autor sermonis Ascens. apud Cyprianum, euecto in cælum Christo. [Paternæ complacuisse altitudini; duo genera gentium ciuitati supernæ, de qua gloriosa dicta sunt, deinceps assignari; & esse supra mansionarios homines & Angelos; & beatitudinis illius gloriam his duobus ordinibus in perpetuum frequentari. Hæc merces obedientiæ Christi, hæc crucis & mortis stipendia, hic Passionis labor promeruit; ut corpus humilitatis nostræ, fieret corpori claritatis Christi conforme; & mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem, & fierent homines cum Christo in cælestibus iudices, qui cum eo iudicia pertulerant malignorum, & extiterant vsque ad mortem tribulationum consortes.]

Distributionem porò ipsam sed vim ac locorum in cælo, factam ab ipsomet Christo, pensatis vnus cuiusque eorum qui secum venerant meritis, æquè ac in dies fit, cum subinde impletur electorum numerus, piè æquè ac iucundè contemplari possumus. Attigit hoc egregiè Origenes hom. 25. in Iosue in fine, docens distributionem terræ hereditatis, ordine certo factam à Iosue, præsignasse distributionem sedium, faciendam in cælo. [Quod si, (inquit,) secundum literam solum, difficile textus ipse narrationis explicari potest, & permixtio vel locorum, vel personarum, quæ in historia continentur, euolui: quid dicimus de iis sacramentis, quæ per hæc describuntur, & in quibus distributiones futuræ hereditatis adumbrantur, & per quæ sanctæ terræ quam mansueti hereditate suscipient, diuiso celebrabitur: Quis castrorum sedes diuersas explicet, quomodò hæc in resurrectione per singulos quosque sanctorum, Sacerdotali vel Leuitico ordine habenda sit distributio, ut quemadmodum dicit Apostolus; In resurrectione non confusè agantur omnia sed veniat vnusquisque in suo ordine, initium Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum subiecerit ei omnem principatum, & potestatem? Ibi sine dubio tales quædam castrorum obseruationes, & Sacerdotales distributiones, & ordines, ac tubarum significationes erunt: fortassis enim sicut ordinauit Deus stellas cæli, & rationibus eas quibusdam mirandis & ineffabilibus collocauit; & alias quidem ipsarum statuit in axe Aquilonis, alias in partibus Orientis alias verò in Australi parte connexas; atque alias in Occasu: ita credo quod & eos qui ex resurrectione mortuorum tales erunt, sicut stellæ cæli in multitudine & claritate, venientes scilicet ex semine Abraham, ordinabit Deus in regno cælorum, secundum ordinem stellarum & partium cæli: & dabit aliis sortem ad Orientem: aliis ad Occidentem, ad Austrum aliis, & quos ipse nouit statuet ad Aquilonem: quoniam quidem multi venient ab Oriente & Occidente, ex quatuor orbis partibus, & reuerent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in re-

gno cælorum, per gratiam Domini nostri Iesu Christi.] Sed quod hæc res, iam sit tacta cum de Christo Iudicæ, insistantus eius triumpho.

Absentia insanti monitoris, gloria triumphantis.

1202 Non est porò quod in hoc triumpho carnificem qui priori triumpho aderat plusquam vnus, ad ciscendum putemus, ut ex prisco ritu inclamet hominem memento te quod etiam habet Tertullianus cap. 33. Apolog. & Hieron. Epistola 25. comparans huic monitori, eum carnis stimulum, quem accepit Apostolus inter triumphandum de peccato & Sana 2. Cor. 12. Ex Zonara lib. 11. cum vltim describit Magius lib. de tintinnabulis cap. 11. Non est inquam, quod eiusmodi monitorem, triumphanti Christo apponamus, in tanta periculi prolapsionis in vanum tumorem, elongatione.

In triumphu huius conclusione, considerate iuuat cum S. Anselmo lib. 10. meditat. in decima, quanta gloria donatus sit triumphator noster, quamque sublimè condescenderit, & quanta omnium cælestium ex Angelis & hominibus conflatorum, gratulatione sit condecorata, ea conclusio. [Amantissimus Domini (inquit,) habitat confidenter, & flagellum non appropinquat tabernaculo eius. Super altitudinem cælorum, super omnem excellentiam Angelorum, propria virtute ascendit; super solum singularis gloriæ in dextra Patris, qui cœternus & substantialis sedet, & diuino amictus lumine coronatus gloria & honore, ut decet vnguentum Dei. Tectus in lætitia, plenus omni potestate, Dominus in cælo & in terra. Ibi adorant eum omnes Angeli Dei, & vniuersa multitudo ciuium cælestis Sion. In ipso vnanimiter lætantur omnium corda, in eius desiderabili facie, pascuntur omnium oculi bonorum. In ipsum vndique conflant desideria omnium sanctorum, ipsi iubilant, ipsi applaudunt, ipsum magnificat, tota vranica ciuitas, gloriosa per omnem modum in splendoribus eius. Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Exultate in nobili filio vestro, vos illustres Patriarchæ, quia impleta est in eo omnis expectatio vestra, & ipse sublimis est valde, & benedicuntur in ipso, vestro videlicet semine, Omnes gentes. Sic enim pollicitus est sermo diuinus. Gaudete in Iesu Propheta magno, vos Prophetæ viri veraces, quia misit & gloriè impleta videtis omnia, quæ de ipso annuntiastis in Spiritu sancto & fideles inuenti estis per ipsum in cunctis sermonibus vestris. Gaudete in Domino Iesu magistro vestro, vos inclyti proceres cæli, beati Apostoli: gaudete in ipso, & iterum dico, gaudete cum Christo familiariter lætitia. Ecce enim quem vidistis in medio vestri, esuriens & sitiens, fatigatus & iis similia carnis infirma tolerantē, ab omnibus reprobatum, & cum sceleratis reputatum, quomodò vicit? quomodò regnat? quomodò ei omnia sub pedibus sunt? Quam gloriosus in suo Domino, lumine fulget, & sui gaudij, suæ ineffabilis gloriæ nunc vos socios habet, qui olim permansistis cum ipso in tentationibus suis, & vexationum eius confortes fuistis? Adorato nunc dulcia illa genua, quæ se curuauerunt ante vos vsque ad terram,

ram, sedentibus vobis ad sanctissimam cenam. Adorate nunc sacrosanctas illas manus, quibus puluerit pedum vestrorum Rex Regum lavare & extergere dignatus est. Gaudete in Iesu, principe militie vestrae, vos Martyres victoriosi, quia ipsum pro quo tradidistis in mortem animas vestras, ipsum, inquam, Iesum filium Dei, possidetis primum certaminis vestri. Gaudete in Iesu summo Doctore veritatis, & venerandi Confessores & Doctores, quia quem olim doctrinis sacris & operibus iustis confessi estis coram hominibus, nunc confiteretur vos coram Patre suo, & sanctis Angelis eius. Gaudete in Iesu virgine, & virginum sanctificatore, vos paradisi-colae Virgines, vos Angelis similes: quia ecce quem amatis, quem optatis, quem ardentibus desideris expetitis, pro cuius amore terrenos sponsores & omnem ornatum seculi contempsistis, summi Regis filium nunc videtis, nunc tenetis, nunc in eius castis amplexibus quiescitis, & diuelli a vobis nulla infidiatoris fraudulentia potest.]

Vltimus Christi triumphus planè publicus, in mundi meta.

1203 Postremus Christi triumphus, publicus erit: celebrabitur enim coram hominibus & Angelis in mundi clausula, post consummatum iudicium, & latam in bonos & malos sententiam. Peccatoribus enim à longè praeludia tanti triumphi conspiciantibus, subitoque dehiscente terra absorptis, & descendentes in profundum quasi plumbum in aquis vehementibus, Christus à terra exaltatus, omnia trahet ad seipsum: quod in mundi meta complendum esse, cum abolita fuerit omnis dominatio, & principatus atque potestas, Christusque triumphans celestem subibit regiam, affirmat Iulianus q. 39. ad Orthod. Sed illustrissimè id ipsum exposuit Apostolus 1. Cor. 15. verbis illis de extremo tempore, & mundi clausula. *In Christo omnes viuificabuntur, unusquisque autem in suo ordine; primitia Christus, deinde qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine dubio, prater eum, qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Habes hic omnium nostrorum hostium contritionem sub Christi pedibus, omnisque principatus & potestatis euacuationem. Habes omnium Sanctorum in quibus regnabit, subiectionem ad eundem. Denique habes traditionem regni Deo & Patri. Quae mihi imago videtur, imo expressio perfectissima, triumphus gloriosissimi in mundi meta celebrandi; non dispari forma quàm celebrati legantur, qui in seculo habiti sunt magnificientissimi triumphi.

Inimici omnes, excidentur.

1204 Tunc planè perfecta & integra hostium nostrorum contritio exhibebitur; Satana, & morte, & peccato, praecipitatus in sempiternum. Nam hic quidem, quamdiu voluerit

lux & tenebrae, hostes praedicti, tamen transfixi, & illato per Christum lethali vulnere immedicabiliter sauci, adhuc tamen palpitant, nec modicam adhuc humano generi inferunt labem; improvidis plebique, morderi, se à ligato cane sinentibus, & peccati aculeos inflicere excipientibus: ut de morte taceam, quae omnibus indeclinabiliter est constituta. At tunc nouissima destruetur mors, omnis quoque Satanae principatus & potestas, (qualiscunque tandem hic sit;) euacuabitur, & cum Satana, peccatum, omneque eius partiarj, pedibus Christi substernentur. Quod autem id faciendum dixi, proximè ante subiectionem Christi postremam in caelos; obseruari ea in parte potest, analogia cum triumphis mundanis: in quibus vincti ante currum duces inimici, onerati colla catenis ducebantur, ut est vulgatissimum de Iugurtha, ante Marij triumphum ducto: deque quatuor & viginti supra trecentos, quos Pompeius bello Mithridatico confecto, triumphans, ex debellatorum Regum liberis ac Ducibus, egit ante currum suum, Appiano teste. Sic igitur Christus, ante suum caelum versùs subiectionem, triumphali habitu & pompa, publicè ostentatos hostes nostros & ludibrio habitos, aeternum prosterneat, & carceri perpetuo mancipabit, perdendos illuc sempiterno interitu. Nam & in Romano triumpho, quod Eumenius in Constantini Panegyrico prodit, [Captiui Reges, cum à portis vique ad forum triumphantium honestassent currus, simulatque in Capitolium currum flectere coeperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur.] Idem habet Zonaras lib. 2. in Diocletiano. Etiam si id perpetuum non fuisset, confirmet Bulengerius l. de triumph. c. 28.

Euacuabitur potestas omnis humana.

1205 Euacuationem principatus omnis & potestatis, in hoc Christi triumpho, secutus Chrysostomus & Theophilactus, aliisque non paucos, accepi de euacuatione regni Satanae, & contritione omnium eius partiariorum, & administratorum. Et ceterum videtur, de ea praecipue loqui Apostolum, ita ut sublata hominum qui tentari possint successione, etiam illud regnum quo Satanas & superiores mali Angeli, ex consensu inferioribus principantur in ruina nostram, sit abolendum. Non inficior tamen, quin verum etiam sit, euacuandas esse quascunque alias potestates; siue Angelorum beatorum in inferiores Angelos, aut Daemones, aut homines. Id quod ad summam Christi & Dei eminentiam perspicendam pertinet, qui tunc erunt omnia in omnibus, soli que imperabunt & regnabunt; obliteratis omnibus alijs principatibus & potestatibus; Angelorum quidem in Angelos inferiores, & in nos, principatus euacuabitur, quia omnes illae praefecturae spectant eos qui haereditatem capiunt salutis: qui tunc nulli ultra erunt. Et quia humanae quoque omnes dominationes, ex natura sua aliud non pertinent, quàm ut salus animarum obtineatur, & homines per directionem superiorum, & malorum coërcitionem, ac pacem, pertingant securè ad finem suum vltimum: propterea cum omnes ed pertigerint, cessabunt & euacuabuntur vniversae potestates, hominum

in homines; tam Ecclesiastica Pontificum & Episcoporum, quam seculares Regum & Principum: itemque Oeconomiarum, mariti in uxorem, Patris in liberos superiorum quorumcunque in quoscunque inferiores. Omnium æqualitas, & gradus par; nullius ad alterum, nisi ad Christum, & ad Deum, subiectio erit. Hucque S. Chrysostomus hom. in illud, *tunc & ipse filium subicietur ei*, refert quod de Christi cornu toties in Scripturis legimus. Populo priori (inquit,) tres erant ordines Sacerdotium, regnum & prophetia: Præter tres illos, non videbatur alius apud Iudæos principatus. Cornu item erat olei sacificationis, & vna fuit vinctio, tria verò dona. Vnum cornu, tria charismata: Inungebantur enim Sacerdotes, Reges & Prophetæ. Cæterum quia aliqui argumenti huius ignati sunt, ne incassum sermo curat, seipsum quidem absumens, lectori verò inutilis, audi breuiter. Seruabatur à Prophetis cornu; è cornu autem inungebantur Reges, Prophetæ & Sacerdotes: nulla quidem charismatis variatione, nam per idem cornu gratia adhibebatur. Inungebantur Reges, inungebantur Prophetæ, inungebantur Sacerdotes: vna vinctio, tria dona. Quare autem in cornu erat vinctio? Quia imaginem gerebat Christi. An non in argenteo vase, an non in aureo, an non in aliqua alia pretiosiore materia, tantum donum esse potuit? Sed non fuit in alio, quam in cornu. Siquidem ut dicendo præmisi, imaginem gerit Christi. Etenim dicit; *Excitabo cornu David*; quod est Dominus Sacerdotij, & regni & prophetiæ, ille sit cum omnibus vobis. Quia cum caput nostrum accipit regnum, contritis tribus illis humanis dignitatibus, in eius cornu, omnis dignitas, & gloria refedit. Vides quomodo euacuationem omnis humanæ dignitatis publicæ, & multo magis priuata, agnoscat; ex quo Christus in mundi meta regnum acceperit? De eo enim tempore agit, quamuis per anticipationem in præterito loquatur; & quomodo Christo, tantum, & Deo, omnia subiecta fore doceat.

Quid quod ipse etiam Christi potestatem & principatum, tunc temporis euacuandum, saluo eius regno, censuerunt de Apostoli eo loco sententia, quidam Catholicis? Nam principatus ille Christi, consistit in potestate gubernatiua Ecclesiæ, & facultate directiua electorum ad gloriam; ratione cuius Christus nunc dicitur sedere ad dexteram Patris. Vnde Psal. 109. significatur positus inimicis Christi, sub pedibus tanquam scabello, non ultra sessurum Christum ad Patris dexteram, quia non ultra gubernabit Ecclesiam, sed abdicabit gubernatoris officium, quia ulterius nulla erit gubernationis necessitas, omnibus constitutis in termino. Retinebit tamen semper regnum & dominium; cum Iurisdictionis, tum proprietatis in omnes beatos, vna cum Patre: quia id habet inabdicabiliter titulo vnionis Hypostaticæ, ratione cuius regnabit in domo Iacob, (id est Ecclesia,) in æternum, & regni eius non erit finis. Ita ferè Florauentius 1. de Trinit. cap. 3. *sub finem*, allegato. S. Epiphonio Hæc. 69. apud quem nihil inuenio. Et quamvis doctrina vera sit, tamen non video quomodo ad locum Apostoli conferat; quia abdicatio gubernationis, non erit coniuncta cum abdicatione regni Christi, quod principatum & potestatem necessariò dicit. Quod igitur Chri-

stus omnem principatum & potestatem euacauerit, patricque etiam ipse subiciatur, non potest de ea gubernationis Ecclesiæ abdicatione accipi.

Sancti omnes, subiciantur triumphatori.

1206 Sanctorum ad Christum tunc triumphantem subiectio, de qua, postea, non melius prodi queat, quam cum venerabundi & triumphatori, acclamantes, curru triumphantis assabunt, magna & ipsi pars futuri tantæ pompæ, tantæque triumphi. Hæc siquidem erunt opes, hæc manubiarum, hæc vera Davidis præda, quam in triumpho hoc solemnissimo ostentabit triumphator. In luxuria triumpho, (sic enim Plinius lib. 37. cap. 2. Pompei triumphum appellauit,) prodigij loco habita est, immanis moles auri, argenti, & gemmarum, transiuncta. Transiunctum cum tesseriis lusorium, è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor: & ne quis de ea dubitet, nulla gemmarum magnitudinæ hodie propè ad hanc amplitudinem accedente, in eo fuit Luna aurea pondo 30. lecti tridimares tres, vasa ex auro & gemmis abacorum nouem: signa aurea tria, Mineræ Martis & Apollinis, Coronæ ex Margaritis triginta tres: mones aureus quadratus, cu Ceruis & Leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea. Mæsum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat. Imago Cn. Pompeij, è margaritis. Verum quid hæc vanitates & infanitiæ fallax, imo veræ, (ut scitè Platem corrigi Maximus Taurin. hom. de Calendis,) quid inquam hæc teræ minutialium transiunctio, ad viuas illas opes, quas Christus in triumpho suo deduxit, circumdatis immensa gloriæ sanctos dico, quibus omnibus laureatis & coronatis, triumphum suum honestabit Christus. Heu ieiunias nostrorum comparationum! Multus est Athenæus lib. 5. Dypnosoph. in ea Antiochi opulencia explicanda, qua in pompa quadam, tria millia Ciliicum, aureis coronis illustrium, & equites Pisæos mille, aliisque præterea tres mille, aureis argenteisque, in galea cristis & aureis coronis insignes; octingentos insuper ephebos, aureis coronis micantes exhibuit. Sed hæc ne nominari quidem digna sunt, præ aureis verè & gemmeis, (auersandæ pauperum moris nostri vocis) præ cælestibus inquam infinitis pretiosioribus coronis sanctorum, illustrantium Christi triumphum.

Pereleganter Eusebius lib. 3. contra Marcellum Ancyranum cap. 15. hanc sanctorum ad Christum subiectionem, exponit de honore & veneratione ingenti sanctorum, referendum in Christum omnia bona sua. Subditque hæc, sanè insignia. [Filio quidem Dei, sancti omnes per salutarem subiectionem subiciuntur; quatenus is vita est, vitam in eo victuri immortalem; quatenus sapientia, sapientes futuri; logos, quatenus logo perficiendi; & Christus, quatenus odore eius bono inungendi. Luminaria designabuntur noui seculi, quibus lux ab illo supeditabitur. Filij Dei futuri, filiationis eius spiritu adornati & exculsi. Quomodo qui illi sunt subiciendi omnes, facultatum eius cæterarum participes fient? Nam & iusti futuri sunt, de iustitia eius: & de sanctitate illius sancti. Sed ne-

que quandoquidem Deus erat Verbum, & Deitatem suam iis inuidebit: ut verè sit locutus Apostolus, *Haereditatem Dei, coheredes autem Christi, futuros eos.* Sed & corpora sua aeternitate prædita, Soli, Lunæ, & syderibus similia, coruscabunt: quo & in ipso, eius gloriæ participabunt. Quod & idem docuit aliis; Unde & servatorem expectamus Iesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme sit corpori gloriæ eius, secundum operationem potentie ipsius, quæ subiecit omnia sub pedibus eius. Vides, ut in eo quod possit omnia subicere sibi, & corporis nostri inducat transfigurationem eam, ut corpori ipsius glorioso, nostra quoque conforma reddantur.]

1207 Specialiter SS. Angelos, subiectionem suam ad Christum triumphantem, omnimodis demissionis & gratulationis expressione restaturos Gregorius Nyssenus Oratione 3. contra Eunomium, his verbis tradit; expendens illud Hebr. 1. *Et cum iterum introduxit primogenitum in orbem terræ;* [Adiectio (inquit) particulæ iterum, hoc non primò fieri, per hanc dictionis significantiam ostendit. Nam in repetitione eorum quæ semel facta sunt, hac dictione utimur. Igitur in fine seculorum, terribilem eius apparitionem, hoc sermone significat, quando non amplius in serui forma conspicitur, sed in solio Regni magnificè sedens, & ab Angelis omnibus circum ipsum adoratus. Propterea qui semel in orbem ingressus, primogenitus factus ex mortuis, & sciatum, & omnis creaturæ primogenitus; cum iterum ingrederetur in terrarum orbem, iudicans ipsum orbem in iustitia, sicut testatur vaticinium, non repudiat primogeniti nomen, quod semel pro nobis accepit: sed sicut in nomine IESU omne genu se curuat, ei qui supra omne nomen est, sic etiam cum qui in nomine primogeniti venit, omnis Angelorum multitudo obuiam facta, adoratur, ob hominum reuocationem affecta gaudio; quam quia sit noster factus primogenitus, rursus ad gratiam quæ à principio fuit, reuocauit: siquidem gaudium sit Angelis, super his qui ex peccato relapsi, salui sunt. Quocirca vique nunc congemiscit creatura illa, & condolecit nostræ vanitati, multam suam & detrimentum iudicans nostram perditionem, cum reuelatio facta fuerit Filiorum Dei, quam pro nobis semper expectant, & præstolantur: Et cum salua fuerit ouis, cum superna illa centuria; (nos autem omnes sumus, humana natura hæc ouis, quam quia factus primogenitus, bonus Pastor seruauit: tunc præcipue in vehementi pro nobis gratiarum actione, Deo adorationem adducens, ei qui propter primogenituram reuocauit eum qui à patrio lare longè abscesserat.)

Origenes lib. 9. in Epist. ad Rom. hanc sanctorum subiectionem non exelatis Angelis, de quibus Christi triumphatori subiiciendis, ex Nysseno diximus, ait expressam, per genuflectionem, Isaïæ 45. sic enim habet. [Vbi ergo tradiderit regnum Deo & Patri, id est conuersos omnes & emendatos obtulerit Deo, & ad integrum, mysterium mundi reconciliationis expleauerit, tunc ait ante tribunal Dei stare omnes, ut impleatur hoc quod sequitur; *Vino ego dico Dominus, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo.* Flectet autem genu omnis creatura Deo, in nomine Iesu, per

quem reconciliata est ei, secundum quod idem Apostolus dicit: *Quia in nomine Iesu omne genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Flectere sanè genu, & omnem linguam confiteri Deo, de Isaïæ Prophetæ sermonibus assumpsit Apostolus. Quod tamen non est carnaliter accipiendum, ut putemus, etiam cælestia, quæ dicit genuflectere, carnalibus membris hoc facere: verbi causa ut putetur vel Sol, vel Luna, vel stellæ, vel etiam Angeli, & quæcunque sunt quæ cælestia nominantur, corporalibus inflexa genibus adorare, aut etiam lingua carnali, & tali membro quali nos homines loquimur, putentur confiteri Deo, de quibus dicitur, quia sint spiritus & ignis, secundum quod Propheta dicit: *Qui faciunt Angelos suos spiritus, & ministros suos, ignem videntem.* Et quæ genua in spiritibus esse creduntur. Aut quæ linguae in ignis specie requirentur: sed genuflectere, subiecta esse cuncta, & cultui Dei obedire declarat.]

Christus, tradet regnum Patri.

1208 Traditionem regni per Christum faciendam Patri, varij varie exponunt. Petrus Damiani Opusc. 6. c. 1. exponit de perductione omnium ad claram Dei visionem. [Quod dicit Apostolus, (inquit,) *cum tradiderit regnum Deo & Patri,* tanquam regnum donec ipse tenuerit, Pater non habeat: & cum Patri tradiderit, ipse non teneat. Cum tradere regnum Deo Patri, nihil aliud sit iuxta sobrium intellectum, nisi perducere credentes ad contemplandam speciem Dei Patris. Tunc quippe Deo Patri, regnum a Filio traditur, cum per mediatorem Dei & hominum, in contemplationem diuinitatis æternæ, fidelium multitudo transfertur; id est, ut iam necessaria non sit dispensatio similitudinum per Angelos, & Principatos, & Potestates, & Virtutes: ex quarum personarum non in conuenienter intelligitur dici in Canticis Canticorum ad sponsam; *Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoad vique Rex in arubitu suo est;* id est, quoad vique Christus in secreto suo est. Quoniam vita nostra abscondita est cum Christo in Deo; Cum Christus, (inquit,) apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Quod antequam fiat, videmus nunc per speculum in enigmate, hoc est, in similitudinibus; tunc autem facie ad faciem. Hæc enim nobis contemplatio promittitur, actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum. *Filius enim Dei sumus, & nondum apparuit, quod erimus.* Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Quod enim dixit famulo suo Moysi; *Ego sum qui sum:* Et, *dices itaque filiis Israël: Qui est, misit me ad vos;* hoc contemplantur, cum videbimus eum in æternum. Ita quippe ait; *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Hoc fiet, cum venerit Dominus, & illuminauerit abscondita tenebrarum, cum tenebræ mortalitatis huius, corruptionisque, transierint. Tunc erit mane nostrum, de quo in Psalmo dicitur, *Mane astabo tibi, & videbo.* De hac contemplatione intelligitur dictum, *cum tradiderit regnum Deo, & Patri,* id est, cum perduxerit iustos, in quibus nunc ex fide viuētibz regnat, mediator Dei & hominum

homo Christus Iesus, ad contemplationem Dei Patris. Sic de ea traditione regni, per Christum facienda Petrus Damiani.

Malim tamen eam vel simplicius accipere, vel explicatius proponere, ita scilicet, ut traditioni regni faciendae per Christum Deo & Patri, perbellè respondeat quod in priscis Romanorum Triumphis seruatum, obseruat & laetè confirmat Paschasius lib. 8. de coronis cap. 1. & 2. Nempe præter lauream coronam, laureis foliis structam, sed adauctam lemniscis, & inauratam lamulis, vnguentisque delibutam teste Tertulliano lib. de cor. mil. quam triumphans capite gestabat, aliam fuisse amplissimam, & cui ferendae vix ceruix ferulis apta esset, ut est apud Iuvenalem Saty. 10. quæ non laurea, sed aurea esset; in qua inscripta essent gesta triumphatoris, & in Iouis Capitolini gremio, ab eo in triumphi clausula deponeretur, in eiusdem Iouis æde, cum cæteris donariis religiosè asseruanda. Profitebatur enim ea coronæ traditione qui triumphabat, vnde victoriam & decus suum promanasse agnosceret. Christus itaque triumphatoris specie subuectus in cœleste Capitolium, Deo & Patri vero nomini, ad triumphi clausulam, regnum tradet; coronamque illam omni æstimatione superiorem in Patris sinu deponet, quæ ex electorum omnium veluti singulatum gemmarum confertione fuerit compacta. Hanc suam mercedem, (filij enim merces, fructus ventris, idest Christi,) hanc coronam suam multo potiore iure quam Paulus quos ad Deum adduxerat coronam suam nominabat, offerret Christus Deo Patri. Electos inquam omnes, à Dæmonis, & peccati, ac mortis potestate ereptos, in unum lectissimum & acceptissimum sistet Patri.

Negat Thyraus lib. de Appar. ad Iudic. vniuersale c. 23. n. 30. eam traditionem, voce viua, aut symbolo quopiam faciendam. Sed eo ipso, censet tradendum Patri hoc regnum, quod continetur felici electorum multitudine; quod beati cœlestis patriæ possessionem inibunt, & cœlum ingredientur. Verùm hæc non videntur satis esse, ad intelligendum quod à Christo tradantur Patri latores manum suarum. Hoc enim tantum est dicere, seruis fidelibus, ut intrent in gaudium Domini sui; idest donare illos beatitate. At aliquid diuersum est, quod affirmat Apostolus, Christum traditurum regnum Deo & Patri. Quare quicquid sit de vocali traditione, contra quam tot astantibus corpore conuestitis, Deum vocaliter laudantibus, & secum similiter colloquentibus, nihil video validum; traditio tamen per actus intellectus & voluntatis, omnino videtur admittenda. Hoc est, admitto, & Christum cum primum post recessum è terris, conclusio iudicio & temporum resolutione conclusa, prouectus fuerit ad eam cœli partem in qua Christo thronus statueretur; profundissimè adorantem Augustissimam Trinitatem, exhibiturum illi esse gratissimo animo, falciculum lectissimum viuientium quos à Patre acceperat perducendos cum effectu ad gloriam Et in recognitionem regni super omnem Ecclesiam, & orbem vniuersum tributi à Patre, hanc illi verè coronam suam oblaturum, ad edendam solemni ritu professionem additionis clientelæ, & ut passim loquimur, ad exhibendum homagium ex hac similivè formula. En

Domine & Deus meus, cum omnibus nonaginta nouem, etiam centesiman quam ad te reuocare missus sum. En Christum tuos omnes, in quibus me primogenitum esse voluisti. Tui erant, & mihi eos dedisti, siue saluandos, siue saluandos ad præscriptum meum cooperatos ut is qui deerant adiunctis, vnus ex omnibus, beatorum & electorum tuorum cœtus adonaretur. Eas tibi nunc tandem opera & sanguine meo, in vnum corpus, vnâque beatam Ecclesiam sine macula & ruga congregatos, repræsentato, dedico, & trado.

Quid in hoc toto processu indecorum? quid Christo indignum? quidvè dedecens Deum, aut ei non debitum? Vide verò an non ad hunc modum Apostoli verba acceperit Eusebius præclare in hanc rem vniuersam differens lib. 3. de Ecclesiast. Theologia contra Marcel. Ancy. cap. 16. his proter cætera, [Filius tunc exultans gudio, & veluti victoriosus athleta, triumphans coronam eorum redimitur, quos beatitudine dignos habitos, Patre suo spectante, regno indigentis & non veterascenti remuneraturus est. Impletis de eo tunc diuinis oculis; cum aliis, tum illo Gabrielis Angeli ad sanctissimam Virginem, prolati, de filio ex ea generando. Quod regnaturus sis in æternum, & regi eius non erit finis. Regnans eo tempore Dei filius, omnes eos qui sub ipso sunt regnaturi, traditurus est tunc suo Patri.] Id planè ait esse, quod Apostolus dixit, Christum Patri traditurum regnum, idest, subiectos regni sui, omnes electos. [Consummatus enim ab ipso illos, & tanquam suo glorioso facinore illustatos, patri tradet, tanquam quoddam depositum manifestum; quod & ipse docet inquis, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Quocirca veluti probus depositi cultus, depositum saluum sacrum, rectamque exhibebit Deo, ad instar Pontificis omnes albis amictos, & corporibus immortalibus, tanquam stolis candidissimis radiantes illi in manus tradens; ut non modò sub illo fruatur regno, sed insuper adimpleri possint ineffabilibus Patris sui bonis.]

1210 Hic quoque pertinet, panegyricus ille beatorum, quem in vniuersali omnium sanctorum corona, à Christo cuique pangendum, monstrauimus agentes de Martyrio p. 4. cap. 6. num 21. Optime id considerauit S. Chrylasmus hom. 3. in Genes. sub finem, obsecrans ita tantum qui honores humanos resugerint, paratum esse tantum decus. Vnde sic adhortatur. [Qui virtutem ita operatur. Ut latere velit homines, in die illo terribili, in manifesto accipiet à Domino retributionem. Nam pater tuus, qui videt in occulto, reddet tibi in manifesto. Quasi diceret. Ne cogites, nullus homo laudauit te, & virtutè clam facis, sed hoc cogita, tanta erit paulò post Domini liberalitas, quod non sinit hoc clam vel in occulto esse. sed præsentè omni hominum genere ab Adam vsque ad consummationem seculi, te prædicabit, & retributiones laborum virtutis, dabit tibi. Qui igitur exultatione digni erimus, & laborem virtutis sustinentes, & propter momentaneam & vilem euandamque hominum gloriam, æternam illa nosmetipsos priuantes]

Quemadmodum

Quomodo & ipse Filius subijciatur Patri, sensu auct. ian. d.

Tradet ergo Patri electos Christus, & secula obsequans, ac vicissitudinis obumbrationem illuc usque productum, nullo ulterius nascituro, nullo morituro, nullo sortem sanctorum aucturo, damnatis aeterno carceri mancipatis, omnibus Dei hostibus potenter subactis, plena omnium subiectione ad Patrem per Christum facta; tunc & ipse filius (vt addebat Apostolus) subijciatur ei; erique Deus omnia in omnibus.

Non est sensus Christum planè debellatis inimicis omnibus, ita traditurum Patri regnum, eique ita subijciendum vt regnare desinat: Hoc enim non cohaeret cum illis Scripturis, quibus negatur finem fore regni Christi, & è contrario asseritur potestatem eius fore aeternam potestatem quae non auferetur, & regnum quod non corrumpetur. Itaque detestandus planè est sensus haereticorum, quem S. Athanasius Orat. vnum esse Christum, refert ab eis appictum huic loco Apostoli [si exactè (inquit) animaduertas & rebus ipsis oculos intendere velis, deprehendes eos extra Trinitatem summouere Dominum nostrum Iesum Christum, vt mancipium, vt hominem inadmirabilem; cum sit adorandus, ac potius adorantem vnà cum ceteris omnibus, inservientem, & subiectum sanctae Trinitati; vt Marcellus & Paulus Samosatensis, diuina & Apostolica scripta ad suam detorquentes sententiam; interpretantur; qua parte dicit Apostolus, *Cum subiecta ei fuerint omnia, tum subijciatur ei quoque filius*: hoc est assumptus homo subijciatur ei, qui ei subiecit omnia, vt sit Deus (inquit), ita vt ante incarnationem fuit, in omnibus, omninò incorporalis ac potius sine corpore, hominè quondam ab eo assumptus, (& tunc diuinitate exiit,) & cum omnibus adnumeratus, ad genna adorandus procideret, Deoque subiretur.] Addit S. Athanasius, [En in quantam velaniam & infidelitatem prouert, vt animo concipiant, figantque quae non sunt, & fabulas garriant?] Detestabiliter quoque alij apud Eusebium l. 1. contra Marcellum Ancyri. cap. 1. de ipsius Christi æmulatione & transitu in Deum, ea accepisse significantur. Dissertèque ibidem l. 2. cap. 1. id tribuit Eusebius Marcellus, & latè refellit cap. 4. & lib. 3. de Eccles. Theol. à c. 9. annuente Cyrillo Hierosol. eum quoque Galatam fugillantem, Catechesi 15. *sub finem*. Non sunt hi sensus, traditionis regni per Christum, conformes sanæ doctrinæ.

Prior sensus probabilis, prædictæ subiectionis.

1211 Sensus ergo esse potest, filium esse Patri subijciendum, seque, & sua omnia per eos quos dixi actus, in professionem clientelaris additionis, in Patris potestate positurum, quamuis non idcirco regno excideret. Nam nunc quoque, adhuc stante mundo, simili modo subiectus est Patri: & tamen sedet ad eius dexteram, & cum Patre viuunt & regnat. Firmatque hanc Apostoli expositionem, quod obseruat Theop.

Theoph. Raynaldi de Attrib. Christi.

doretus ibi, alique Græcorum nonnulli: nempe Apostolum ad Corinthios non ita pridem ab Ethnicismo abductos, ista scribentem, cauere voluisse, ne quid apud eos fermenti illius remaneret, quo filius Patrem Saturnum deiecit; eumque in ordinem redegit ferebatur. Nam ea quoque ex causa, (quod Ildorus Pelus. animaduertit) Apostolus scribens ad Philippenses, negat Christum in forma Dei, rapinam esse arbitratum esse se æqualem Deo: alludens ad factum Iouis, quem Ethnici fabulabantur regnum Patri rapuisse. Christo ergo omnia subijcienda esse, affirmat Apostolus: ipsum verò regnum Patri traditurum, eique se subiecturum qui subiecit ei omnia; hoc est Patri supersistere tamen, cum ea subiectione, regno Christi. Id quod pulchrè omninò profequitur S. Zeno Veron. serm. in hoc dictum Apostoli. Et concinnè longam disputationem his verbis concludens Eusebius l. 3. de Ecclesiast. Theolog. c. 15. *in fine* [subiecturus est ergo sibi omnia; talem verò subiectionem futuram Seruatoris nostri statuere debemus; secundum quam & ipse filius subijciatur Patri, qui ipsi subiecit omnia: nempe præstiturum cum ineffabilem quandam, indeterminabilem, & ipsi soli conuenientem subiectionem, cum nimirum illos, qui ipsi subfunt, omnes & singulos, ad modum chori coactos Deo & Patri præsentabit: gloriam ipsi & honorem, venerationem, & magnificentiam, veluti qui sit omnium bonorum fons & causa, aseripturus.]

Alter sensus probabilis, eiusdem subiectionis.

1212 Alius eiusdem subiectionis Christi sensus, esse potest, quem supra agens de regno Christi æterno, monstraui esse plurimum Patrum, & longa Nysseni ratiocinatione, ostendi consonare menti Apostoli & texturæ capitis; nimirum quod Christus eatenus Patri subijciendus dicatur, quatenus membra eius omnia subijciuntur Deo plenè triumphatis Satana, peccato, & morte, quæ illi plenæ & omnimodæ fidelium, atque adeo etiam Christi, vnum cum eis corpus facientis, subiectioni ad Deum, obstabant. Latè præter citatos, id profequitur autor libri primi de Incarn. *in fine*. Extat Tom. 4. Augustini. Nec non Nazianzenus orat. 36. à num. 14. Egregiè planè & breuiter Origenes homil. 7. in Leuit. verbis illis. [Donec ego non sum subditus patri, nec ipse dicitur patri esse subiectus. Non quod ipse subiectione indigeat apud Patrem, sed pro me, in quo opus suum nondum consummauit, ipse dicitur non esse subiectus. Sic enim legimus, *quoniam corpus sumus Christi, & membra ex parte*. Quid autem est, quod dicitur *ex parte* videamus. Ego nunc (verbi gratia) subiectus sum Deo secundum spiritum, hoc est proposito & voluntate: sed quamdiu in me caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, & nondum potui subicere carnem spiritui, subiectus quidem sum Deo; verum non ex integro, sed ex parte. Si autem potuero etiam carnem meam, & omnia membra mea in consonantiam spiritus trahere, tunc perfectè videbor esse subiectus. Si intellexisti quid sit *ex parte*, & quid sit *ex integro* esse subiectum, redi

NNN n nunc

nunc, ad id, quod de subiectione Domini proposuimus: & vide quia cum omnes corpus ipsius & membra esse dicamus. Donec sunt aliqui in nobis, qui nondum perfecta subiectione subiecti sunt, ipse dicitur non esse subiectus. Cum verò consummaverit opus suum, & universam creaturam suam ad summam perfectionis adduxerit, tunc ipse dicitur subiectus, in his quos subdidit Patri, & in quibus opus quod ei Pater dederat, consummavit, ut sit Deus omnia in omnibus. [Particulam *donec*, nequaquam obesse, constat ex iis quae disputat. Isidorus Pelusianus lib. 1. epistola 18. & ibi latè Conradus. Sic vides dictum hæc Apostoli quod S. Chrysost. homil. separata in illud, vocat, [verbum coactus, & quod non facillè incircumspiciat aliquis accipiat,] non difficilè exponi ad veritatem.

Erit Deus omnia in omnibus.

1213. Quomodo autem Deus, tradito sibi per Christum regno, & Christo ipso pariter patri subiecto, sit futurus omnia in omnibus, variè exponunt varij Patres, quorum interpretationes protuli in opere adversus novam libertatis explicationem. parte 1. capite 4. numero 3. Aliam præterea adhibet Marius Victorinus lib. 1. adversus Arium, sed obsecram pro more. Commoditissimæ esse videntur, duæ. Vna quam superius tractans æternitatem regni Christi, protuli ex Nysseno, attingitque etiam adhuc locum Theodoretus; nempe quod Deus sit omnibus electis tunc plene purgatis, futurus omne bonum; omnèque eorum cogitationes, consilia & sensa, in Deo defigantur, ut exponit Elias ad orat. 36. Nazianzeni numero vigesimo septimo. Insinuatque ibi ipse Nazianzenus, cum ait; [Erit autem Deus omnia in omnibus illo restitutionis tempore, non utique pater, resolutio videlicet in ipsum filio, non secus ac si fax aliqua ad aliquod tempus ab ingenti rogo abstracta, in eum rursus adtingatur: (neque cum Sabelliani ad hæc verba furim se huc insinuant,) sed totus Deus: tum nempe, cum iam non multi ibimus, sed toti Deiformes, totiusque ac solius Dei capaces. Hæc enim ea perfectio est, ad quam omni celestitate properamus. Quod quidem Paulus ipse maxime conicit. Quod enim hic de Deo indefinitè ait, alio loco appetitissimis verbis Christo sigillatim attribuit, ad hunc modum loquens. *Ubi non Græcus, non Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scythæ, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.*]

Mellitissime S. Bernard. serm. 11. in Cant. [Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquire, quodcumque est illud, *Erunt* (inquit,) *omnes docibiles Dei; & ipse erit omnia in omnibus.* Vt audio, plenitudo quam expectamus à Deo, non erit nisi de Deo. Quis verò comprehendat, quam magna multitudo dulcedinis, in brevi isto sermone comprehensa sit; erit Deus, omnia in omnibus? Vt de corpore taceam, in anima tria intueor, rationem, voluntatem, memoriam, & hæc tria, ipsam animam esse. Quantum cuique horum in præfenti seculo deest de integritate sua & perfe-

etione, sentit omnis qui ambulat in Spiritu. Quare hoc, nisi quia Deus nondum est omnia in omnibus? Hinc est quod & ratio læpissime in iudiciis fallitur & voluntas quaduplici perturbatione iactatur, & memoria multiplici obliuione confunditur. Tripli huic vanitati, nobilis creatura subiecta est non volens, in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memorie continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! O beata & beatificans Trinitas, ad te mea miseria, miserabiliter suspirat, quoniam à te infelicitè exultat. Discedens à te, quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus? Heu me, qualem pro te commutauimus Trinitatem? *Cor meum conturbatum, & inde dolor: dereliqui me virginitatem meam, & inde pavor, & lumen oculorum meorum, non est mecum, & inde error.* En quam dissimilem Trinitatem, o animæ Trinitas exultans offendisti. Verumtamen *Quare iussu es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: cum error videlicet à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit, & successerit illa quam speramus mira seueritas, plena suauitas, æterna securitas.* Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lumen inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fontem indeficienti æternitatem inherente.]

1214. Hæc est prima illa, quam dicendam, interpretatio modi quo Deus post diem novissimum, erit omnia in omnibus; saluo, (ut ex Nazianzeno audisti) iure Christi, qui non excluditur, sed cum Patre includitur; cum dicitur, Deum fore omnia in omnibus. Videturque in istam expositionem, recidite illa quam latè prosequitur Eusebius libro 3. contra Marcellum Ancyranum capite decimo sexto, his præter cætera. [Omnia tum illis erit, quod se tum omnibus exhibebit: propter vniuersiuiusque facultas, illius Deitatem potest capere: cum spes beatitudinis, & vita interminabilis & incorruptibilis, in eo sita sit sine, quando Deus futurus est omnia in omnibus, adimplens omnes radis suæ Deitatis indeficientis.]

Et in fine capituli [Dixit Apostolus Deum futurum tum omnia in omnibus: tanquam Deum inhabitantem, & ambulantem inter eos, & omnia ipsis factum. Nonnullorum erit Dominus, aliorum Rex, aliorum aliud quiddam, omnium verò Deus, diuina sua virtute & potentia, omnia illis factus. Hunc finem beatissimæ nostræ spei, circumscripsit magnus Apostolus, inquit; *Vt sit Deus omnia in omnibus.* Sed in omnibus tamen erit omnia, correspondentem ad facultatem vniuersiuiusque, distinctas & diuersas Diuinitatis suæ dimensiones, elargiendo singulis.]

Recidit denique in hanc primam interpretationem horum Apostoli verborum quæ iam pridem excutimus, illa alia quam Iulianus Toletanus lib. 3. Prognost. cap. penult. his

his paucis attingit. [Seipsum nobis in premio daturum, quo nihil est aliud melius, reprobavit illo qui nos creavit. Quid enim est aliud quod per Prophetam Dominus dixit, *ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs*: nisi ego ero vnde facientur, ero quæcumque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, salus, & copia, & pax, & omnia bona? Sic enim, & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus, *ut sit Deus omnia in omnibus*.] Origenes Tomo primo, in Ioannem, hoc esse censet, fore Deum omnia in omnibus, quod fore verè bonum electis in mundi claufula. In quam rem copiosè disputat sanctus Augustinus primo, Trinit. capit. decimo-tertio.

Altera interpretatio accommodata quam spondebam, est quod Deus omni tunc creato principatu abolito sit futurus in omnibus, omnis potestas; ut Pontificis, Regis, Toparchæ, Patris, Mariti, omnis denique principatus & potestatis loco rectorus, & subiectos solus habiturus omnes. Non dissimili modo de Christo ipso locutus est Apostolus Coloss. 3. hortatus Christianos, ut induant nouum hominem, *vbi non est Gentilis & Iudæus; Circumcisio, & præputium; Barbarus, & Scythæ; seruus & liber, sed omnia in omnibus Christus*. Quem locum Theodoretus ibi, existimat esse geminum illi alteri loco in quo versabamur, & per typum exponere archetypum: per baptismum inquam, de quo ibi agebat Apostolus, exponere statum vitæ futuræ, in quo cessante peccato, omnes enumeratæ differentie cessabunt, & corruptione liberati, Christum perfectè induemus, diuinæque voluntas, Christi spiritu omnes plenè occupante, perficietur in omnibus. Quod ipsum proportionem aliquam in baptismo efficitur, peccatorum corruptione sublata, & substituta innocentie stola; spiritu denique Christi, occupante Christianam animam; & ei aspirante, ad diuinam voluntatem in omnibus perficiendam, de Deo solo in omnibus, cogitando & querendo.

Festum æternum Sanctorum cum Deo.

1215 Erit ibi abundantia in turribus, verèque Bersabæe, quia inuenta est aqua: de quo in hanc rem egregiè Rupertus libro septimo, in Genes. capite vndecimo, Tunc verissimè agent Sancti festum diem, & Deus cum illis. Audi Origenem homil. 23. in Numeros in fine. [In futuro, si vis considerare quomodo agantur dies festi, erige panlalum, si potes, sensus tuos à terra, & obliuiscere paulisper hæc quæ habentur in facie. Describere verò tibi, quomodo cælum & terra transeant, & transit omnis hic habitus mundi; cælum verò nouum, & terra noua fundetur. Amoue de conspectibus tuis, etiam Solis huius lucem, & da illi mundo qui venturus est, Solis septuplum lumen. Imò potius secundum Scripturæ autoritatem, ipsum ei da Dominum ducem. Pone adstantes Angelos gloriæ, pone Virtutes, Potestates, sedes Dominationes, atque omne nomen clarissimarum celestiumque virtutum, non solum quod in præsen-

Theoph. Raynandi de attrib. Christi.

tiseculo nominatur, sed quod etiam in futuro. Inter hos omnes considera, & conice quomodo agi possint dies festi Domini: quæ ibi festiuitas, quæ gaudia, quæ lætitiæ magnitudo. Nam de his supra diximus spiritualibus festiuitatibus, etiam si magnæ sint, & veræ, præcipuè cum spiritualiter gerantur in anima; magna tamen ex parte sunt, non ex integro. Sicut enim dixit Apostolus, *quia ex parte sciimus, & ex parte prophetamus*: ita consequens est, ut ex parte diem festum geramus. Ut autem scias hæc ita esse, redeamus ad ipsius Pauli sermonem, quem de diebus festis & Neomeniis posuit: & vide quomodo obseruauerit dixit; *Nemo ergo (ait) vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi*. Attende ergo diligentius quomodo non dixit, *in die festo, sed in parte diei festi*. Ex parte enim, & non ex integro, diem festum in hoc mundo positi celebramus. Interpellamur enim, etiam si nolumus, ab onere carnis, pulsamur à concupiscentiis eius, curisque & sollicitudinibus tenebrarum, *Corpus enim corruptibile*, (ut ait ille Sapientissimus,) *aggrauat animam, & depri-mit sensum multa cogitantem*. Ex parte ergo, in hoc mundo sancti agunt diem festum, quia & ex parte sciunt, & ex parte prophetant. Cum autem venerint quæ perfecta sunt, destruerunt ista quæ ex parte sunt. Sicut enim perfectæ scientiæ cedit ista quæ ex parte est, & perfectæ prophetiæ cedit ista quæ ex parte est; ita & perfectæ festiuitati, cedit ista quæ ex parte est festiuitas. Neque enim quod perfectum est, mundus ille capere potest; vbiut diximus, necessitas corporis, nunc cibum, nunc potum, nunc somnum suggerit, nunc etiam quantumque necessariò vitæ præsentis sollicitudinem mouet, quæ omnia interrompunt sine dubio continuationem festiuitatis Dei. Cum autem venerit illud quod dictum est de iis qui restituantur in sancta, si tamen & nos ex iis esse mereamur qui restituendi sunt, qui neque esuriant, neque sitient, neque dormitabunt, neque laborabunt, sed erunt perui-giles, sicut Angelorum vita perui-gil dicitur; cum in illum ordinem restitui merebimur, tunc erit vera, & incorrupta festiuitas, cuius festiuitatis princeps & sponsus Dominus erit ipse Iesus Christus Saluator noster, cui est gloria & imperium in secula seculorum Amen.

Addamus & illud ex hom. 18. in fine, vbi distributionem hæreditatis à triumphatore faciendam exposuit. [Sed quis nostrum talis est, ut ad huiusmodi distributionem, & ad illam celestis hæreditatis sortem, venire mereatur? Quis ita beatus erit, cuius sors in Hierosalem veniat, ut sit ibi vbi templum Dei est, imò ut ipse sit Dei templum? Quis ita beatus est, ut ibi dies festos agat, vbi altare diuinum perpetuis ignibus adoletur? Quis ita beatus est, qui sacrificium suum, & incensum suauitatis supra illum ignem ponat, de quo dicebat Saluator; *Ignem veni mittere in terram*? Quis ita beatus est, qui ibi semper agat Pascha, in loco quem elegit Dominus suus? Vbi Pentecostes diem gerat, & festiuitatem reprobationis, & tabernaculorum solemnitatem; non iam per vmbra, sed per ipsam speciem, rerumque veritatem? Quis nostrum

NNN n 2 dignus

dignus habebitur, tam beatæ sortis electione, cum Deus diuidere cœperit filios nouissimi Adam; non cui dicat: *Eris super quinque ciuitates potestatem habens*, aut cui dicat: *Eris super decem ciuitates potestatem habens*; nec cui dicat: *intra in gaudium Domini tui*; sed cui dicat: *Sedete & vos mecum super duodecim thronos, iudicantes & vos duodecim tribus Israël*: de quibus dicat: *Pater volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum*. Volo etiam istos esse Reges, ut ego sim Rex Regum; Volo &

istos habere Dominationem, ut & ego sim Dominus dominantium. Beati qui ad hanc peruenient beatitudinis summam. Beati qui ad ista conscendere poterunt fastigia meritorum, & benedictus Deus noster, qui hæc promissit diligenti-
bus se. Hi sunt ipsi verè sacris numeris numerati apud Dominum; imò ipsi sunt quorum etiam capilli capitis numerati sunt per Dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.]



OPERIS